



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Svmma Totivs Theologiae S. Thomæ Aqvinatis, Doctoris Angelici Ordinis Prædicatorum

Svpplementvm Tertiæ Partis

Thomas <von Aquin, Heiliger>

Romæ, 1619

Vtrum affinitas matrimonium impediat? 6

urn:nbn:de:hbz:466:1-38817

nis vxori suæ in primo genere, ita nec efficitur affinis secundo viro eiusdem vxoris in secundo genere: sic ratio non procedit.

Ad sextum dicendum, quod mediante vna persona non coniungitur mihi alia, nisi ex hoc quod ei adiungitur. Vnde mediante muliere, quæ mihi est affinis, nulla persona fit mihi attinens, nisi quæ illi mulieri adiungitur: quod non potest esse nisi per carnis propagationem ex ipsa, vel propter coniunctionem matrimonialem ad eam. Et vtroque modo aliqua attinencia mediante prædicta muliere, secundum antiqua iura mihi proueniebat, quia filius eius etiam ex suo viro efficitur mihi affinis in eodem genere: sed alio gradu, vt ex regula prius data patet: & iterum secundus vir eius efficitur mihi affinis in secundo genere. Sed alij consanguinei illius mulieris non adiunguntur ei. Sed ipsa vel adiungitur eis, sicut patri matri, in quantum procedit ab eis, vel principio eundem, sicut fratribus: vnde frater affinis * mei, * Al. mea pater, non efficitur mihi affinis in aliquo genere.

* Al. mea

ARTIC. V I.

Utrum affinitas matrimonium impediatur?

225

Ad sextum sic proceditur. Videtur, quod affinitas matrimonium non impediatur. Nihil enim impedit matrimonium, nisi quod est illi contrarium. Sed affinitas non contrariatur matrimonio, cum sit effectus eius. Ergo non impedit matrimonium.

Conc. Tré
dens. sess.
de refor-
mat. ma-
tri c. 4. c. 9
c. quadã
cum mul-
tis seq. 35
q. 2.
art. pres.

Præterea, Vxor per matrimonium efficitur quædam viri. Sed consanguinei defuncti viri, succedunt in rebus eius. Ergo possunt succedere in vxore, ad quam tamen manet affinitas, vt ostensum est. Ergo affinitas non impedit matrimonium.

Contra est, quod dicitur Leuit. 18. Turpitudinem vxoris patris tui non reuelabis. Sed illa est tantum affinis. Ergo affinitas impedit matrimonium.

RESPONDEO dicendum, quod affinitas præcedit matrimonium, impedit contrahendum, & dirimit contractum, eadem ratione qua & consanguinitas.

H h 3 Sicut

Sicut enim inest necessitas quædam cohabitandi consanguineis adinvicem, ita & affinibus: & sicut est quoddam amicitia vinculum inter consanguineos, ita inter affines. Sed si affinitas matrimonio superueniat, non potest ipsum dirimere: vt supra dictum est *.

q 50 art.
unico, ad
7.

Ad primum ergo dicendum, quod affinitas non contrariatur matrimonio ex quo causatur, sed contrariatur matrimonio quod cum affine contrahendum esset, in quantum impediret multiplicationem amicitia, & concupiscentia repressionem, quæ per matrimonium queruntur.

Ad secundum dicendum, quod res possessa à viro non efficiuntur aliquid vnum cum ipso viro: sicut vxor efficitur vna caro cum ipso. Vnde sicut consanguinitas impedit matrimonium vel coniunctionem ad virum secundum carnem, ita & ad vxorem viri.

ARTIC. VII.

326

Utrum affinitas habeat per se gradus?

AD septimum sic proceditur. Videtur, quod affinitas habeat etiam per seipsum gradus. Coniungit enim propinquitatis est accipere aliquos per se gradus. Sed affinitas propinquitatis quædam est. Ergo habet gradus per se sine gradibus consanguinitatis, ex quibus causatur.

ii. 4. sent.
d. 41. §. B
a med.

¶ 2 Præterea, In littera † dicitur, quod soboles secundæ coniunctionis non potest transire ad consanguinitatem affinitatis prioris viri. Sed hoc non esset, nisi virilius affinis etiam esset affinis. Ergo affinitas habet per se gradus sicut consanguinitas.

SED contra, Affinitas ex consanguinitate causatur. Ergo & omnes gradus affinitatis causantur ex gradibus consanguinitatis: & sic non habet per se aliquos gradus.

RESPONDEO dicendum, quod res non diuiduntur diuisione per se, nisi ratione illius, quod cõpetit illi secundum genus suum: sicut animal per rationale & irrationale, non autem per album & nigrum. Carnis autem